



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Christus iudicatus terrorem incutit iudicandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

ostendit; ita diuinum lumen, quod humani generis Reparator Mundo intulit, haud obscure patefecit, qui nam diuinorum sint mysteriorum capaces; aut qui, talparum instar, non sinant se se illuminari. Vitrum, chrysellum, aquas limpidas, gemmas, & preciosos lapillos radij lucis peruadunt ac illustrant; si in corpus opacum, si in saxum incidant, superficie tantum tenuis recipiuntur, nunquam admittuntur in interiora. Sic Dei docibiles omnes sinus, totum pectus pandunt, cum Deum, vel de Deo audiunt, aut legunt: filij autem huius seculi, quia obdurato sunt corde, oculos claudunt, ne videant; aures, sicut aspidēs surdæ, obdurant, ne audiant diuinam veritatem; aut si ad aures eorum salutaris sermo allabitur, cor obserant, vt non possit penetrare. Hinc non credunt, hinc iam sunt iudicati.

Præter hæc, duo Iudicia, aia tibi duo Iudicia in mentem à Seruatore reuocantur: quem, siue iudicatum aspicias, siue cogites iudicantem, meritò cõtemiscas. Quippe duo sunt aduentus Christi, in primò venit iudicandus ab hominibus, in altero, veniet homines iudicaturus. Quare in primo aduentu Iudicij nos commonefecit, Iudicium dirissimum patiendò. Quisquis enim audit, aut legit, Deum Patrem proprio suo Filio non pepercisse, sed in illo aliena peccata, tam exquisitis supplicij castigauisse, facillè, si sibi sapit, ratiocinatur, cum Christo; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Ex ipsa igitur Cruce, de qua, non Epidaurius, sed Elysius & cælestis iste *serpens* fanat fanari cupientes, inuadit mordetque eos, qui *dilexerunt* huc vsque *magis tenebras, quam lucem*, &, quasi dormientium aures velleret, iubet tandem miseros euigilare Endymiones; præcipitium suum non videntibus clamat, vt incipiant oculos aperire, *ac nouissima providere*. Quin, sicut vipera etiam Apostoli digitum innoxio dente pupugit, ita in ligno suspensus Seruator purioris quoque vitæ mortales, ipsis cruciatibus suis, amantissimè & dulcissimè erudit, vt diuina Iudicia, de suo supplicio, discant æstimare.

Nihil ergo in tempus, aut locum peccabit, neque extra oleas, quod aiunt, vagabitur, quisquis, vel ipso Passionis Dominicæ tempore, vel vbicunque Redemptorem nostrum in cruce pendentem aspiciens, Iudicia Dei, diuinæq; trutinæ examen, aut sibi, aut lectoribus, auditoribusue suis, in mentem reuocabit. Sic reuocantur,

Io. 6. 45.

XII.

Luc. 23. 31.

XIII.

Deut. 32. 29.

XIV.